

Qui vero distinguunt illa auxilia per congruitatem vel incongruitatem vocationis, si putent incongruitatem illam ita convenire sufficienti auxilio, ut dicat intrinsecum defectum illius, et ex parte ejus, seu illi de se et in actu primo convenientem, et ex illo defectu infallibiliter habere ut non consequatur actum secundum; e contrario vero congruitatem alterius auxilii consistere in majori aliqua perfectione physica et entitativa ejus, seu, quod proinde est, in aliquo dono gratiæ pertinente ad actum primum, necessarium ad actum secundum, et illum secum infallibiliter afferentem; hi etiam satis declarant oppositionem et distinctionem illorum membrorum. Sed etiam vereor ne in uno membro veram sufficientiam auxilii evertant, et defectum operationis ejus in Deum principaliter referant; in altero vero membro vix aut nullo modo valeant efficaciam illam cum libertate arbitrii concordare. Nam si illa major perfectio congruentis auxilii est necessaria ad actum secundum, quomodo illud auxilium, quod illam perfectionem non habet, est sufficiens? Vel si necessaria non est, cur sine illa non dabitur aliquod auxilium efficax? Item si ex auxilio sic congruo sequitur infallibiliter operatio ex vi causalitatis ejus, quomodo relinquit libertatem, cum illa causalitas sit antecedens? si autem non est ex vi causalitatis illa infallibilitas, cur non poterit auxilium aliquod cum tota illa congruitate et perfectione esse tantum sufficiens?

Auxilium efficax quodnam sit. — Auxilium sufficiens quid. — Efficacitas cum libertate et cum sufficientia alterius auxilii ut concordetur. — Abstrahendo ergo ab his sententiis, dicimus illa duo membra in hoc distingui et opponi, quod auxilium efficax est illud quod infallibiliter obtenturum est a voluntate liberum consensum, et ad hunc finem et sub hac formalitate (ut sic dicam) a Deo confertur; sufficiens vero dicitur illud quod posset quidem, quantum est de se, a voluntate libera obtinere consensum, de facto vero non obtinet, ipsa resistente. Et ita clara etiam est oppositio et distinctio membrorum; nec negari potest quin in vocationibus seu prævenientibus gratiæ auxiliis illa diversitas inveniatur, quanquam in modo et radice infallibilitatis possit esse controversia, quæ in sequentibus tractanda est; nos autem supponimus provenire partim ex præscientia conditionata Dei, partim ex decreto Dei distribuentis dona sua, prout vult. Et ita facile concordatur efficaci-

tas cum libertate, et cum sufficientia alterius auxilii; nam infallibilitas illa non est mere causalis, sed includit præscientiam liberæ cooperationis voluntatis, futuræ sub conditione, et ideo optime consistit cum libertate. Ac proinde eadem infallibilitas et præscientia ejus non est necessaria ex parte actus primi, quia in eo secundum se est sufficiens virtus ad opus; sed oritur tantum ex perfectione divinæ scientiæ, quæ penetrat non solum virtutes causarum, sed etiam earum determinationes quomodocumque futuras.

Et ideo hinc non tollitur quominus in alio auxilio, in quo talis infallibilitas non cernitur, sit nihilominus tota virtus necessaria in actu primo ex parte gratiæ ad supernaturalem actum, cum facultate etiam obtinendi quidquid necessarium est in actu secundo, si per liberum arbitrium non steterit; et consequenter vera sufficientia auxilii, etiamsi de facto operaturum non sit. Nec per hoc tollimus quin auxilium efficax sæpe includat abundantioram gratiam et protectionem Dei, et interdum adeo magnam, ut ex vi illius sit effectus moraliter certus et infallibilis. Dicimus tamen nec illam abundantioram gratiam esse absolute necessariam ad auxilium efficax præveniens, ne omne aliud auxilium relinquatur insufficientis, nec illam moralem infallibilitatem in causa esse sufficientem ad efficacitatem auxilii, quæ sit consentanea prædefinitioni divinæ, nam hæc esse debet omnimoda, et (ut sic dicam) metaphysica infallibilitas, ita ut, facta suppositione decreti, impossibile sit et implicet contradictionem deficere; ideoque cum quacumque abundantia prævenientis auxilii conjungendam semper esse dicimus conditionatam præscientiam, ita ut infallibilitas perfectissima sit.

Si auxilium sufficiens est vere sufficiens, cur nunquam consequitur effectum actus secundi. — Atque ita facile tollitur duplex admiratio, in qua auctor ille magnam vim facit. Una est, si auxilium sufficiens est vere sufficiens, cur tale auxilium nunquam consequitur effectum actus secundi. Altera est cur tale auxilium non dicatur potius inefficax quam sufficiens; ita enim clarius et formalius opponeretur auxilio efficaci, et ratio insinueretur cur nunquam habeat actum secundum. Ad priorem enim respondemus tale auxilium nunquam habere effectum actus secundi, quia liberum arbitrium resistit, seu operari non vult, vel contrarium operatur; cur autem semper cum tali auxilio ita velit, non

oportet rationem aliquam quærere præter libertatem ejus, ut est apud Augustinum, lib. de Peccat. merit., cap. 17, et sæpe alias. Si autem quæratur unde constare possit tot tanta auxilia vere sufficientia, imo de se efficaciacia, nunquam habitura effectum, respondemus facile Deo id constare ex vi prædefinitivæ præscientiæ vel conditionatæ, priusquam id permittat, vel absolutæ postquam decrevit permittere; nobis autem constare partim ex revelatione, qua scimus Deum dare vel offerre omnibus sufficiens auxilium, partim ex effectu ipso quo scimus omnes qui consentire nolunt cassum reddere tale auxilium.

Declaratur. — Unde si quis recte consideret, hæc prior admiratio non est alia, præter eam quæ ex multitudine reproborum et pravorum hominum oritur. Cur nimirum, cum Deus illum omnem hominem venientem in hunc mundum, omnibusque sufficientia tribuat auxilia, tot homines damnentur; et ab eisdem, qui tandem salvantur, cur maxima ex parte tot prius committantur peccata, totque Divinæ vocationes prius cassæ reddantur? Quorum omnium nulla ratio est nisi libertas et fragilitas voluntatis humanæ, Deo ita permittente, cujus inscrutabilia sunt judicia. Hæc enim omnia clara et certa sunt etiam in principiis fidei. Quibus nos addimus hunc ipsum effectum prævidisse Deum sub conditione: Si illud permetteret, et majora auxilia non daret; et nihilominus voluisse non dare majora, et consequenter prævidisse illa auxilia tantum futura fuisse sufficientia; et ita in illa præscientia dicimus hoc esse infallibile, non in aliqua incongruitate, quam auxilium de se habeat in actu primo spectatum.

Cur tale auxilium non dicatur potius inefficax quam sufficiens. — Auxilium sufficiens ex se, unde habeat quod sit inefficax. — Altera vero admiratio de nomine potius est quam de re. Sicut enim distinximus vocem efficaciaciæ, ita etiam vox illa inefficax distinguenda est. Potest enim dici virtus inefficax, vel in actu primo, quia vim non habet efficiendi, vel in actu secundo, quia de facto effectura non est. Priori modo efficaciacia repugnat sufficientiæ, et ideo non potest auxilium sufficiens vere vocari inefficax. Posteriori autem modo nihil obstat quominus auxilium sufficiens inefficax appelletur, quia cum vera sufficientia stat illa inefficacitas, ut per se notum est. Non tamen ita est auxilium appellatum, vel ad tollendam ambiguitatem et invidiam verbi, vel quia per illam partitionem et membra ejus explicari

intenditur quid revera conveniat auxiliis gratiæ, quatenus a Deo sunt; auxilium autem sufficiens, ex se, et ut a Deo manat, habet quod sit vere sufficiens; quod autem sit inefficax non habet ex se, sed ex libero arbitrio, nec ex intentione Dei, sed ex defectu hominis; et ideo non accepit nomen ex defectu, quem habet ab homine, sed ex perfectione quam a Deo habet. At vero auxilium efficax non solum sufficientiam, sed etiam efficaciam habet a Deo, ejusque absoluta intentione, atque etiam ex virtute sua. Quamvis enim ad hanc efficaciam, ut in re ipsa illam ponat, requirat ut conditionem vel concausam influxum liberi arbitrii, nihilominus auxilium ipsum ex innata sua virtute habet suum actualem influxum, quo et facit actum ipsum liberi arbitrii, et præterea ipsum liberum arbitrium ad faciendum inducit, et ab illo suo influxu, vel in ordine ad illum, efficax nominatur. Stat ergo solida illa divisio, quæ ex Scripturis et Patribus alibi comprobata est latius. Et in sequenti capite pauca de necessitate efficaciaciæ auxilii addemus, et in discursu totius libri utrumque auxilium amplius explicabitur.

CAPUT II.

DE PUNCTO ET STATU CONTROVERSIE, QUÆ EST IN EFFICACITATE PRÆVENIENTIS GRATIÆ EXPLICANDA.

Status controversiæ. — An efficax auxilium sit solum concomitans, vel etiam præveniens? — An auxilium præveniens, si efficax est, differat a sufficiente in additione auxilii prævenientis complementis efficaciam. — Posito ergo pro constanti dari auxilium gratiæ efficaciaciæ, esseque ad actus liberos supernaturales efficiendos necessarium, ut statum controversiæ declarem, supponere oportet divisionem auxilii gratiæ in excitans et adjuvans, quam coincidere putamus cum partitione ejusdem auxilii in operans et cooperans, et in præveniens et concomitans, quibus subsequens non addit novum auxilium, sed tantum respectum ad præcedens auxilium, ut in citato opusculo explicatum reliquimus. In duobus ergo punctis consistere potest hujus controversiæ status: unum est, an efficax auxilium sit solum concomitans vel etiam præveniens; aliud est, an auxilium præveniens, si efficax est, differat a sufficiente in additione auxilii prævenientis complementis efficaciam; vel solum in quodam peculiari ordine et connexio-

ne cum effectu infallibiliter futuro, posito tali auxilio. Et quoniam in explicanda hac diversitate, prout in re ipsa est, vel esse potest, absque ambiguitate et controversia de solis vocibus, consistit intelligentia hujus materiae, et vis omnis rationum quæ in ea fiunt, ideo summa diligentia et attentione opus est. Videtur tamen posse comprehendi, distincte loquendo de illis duobus auxiliis, concomitante et præveniente.

De auxilio igitur concomitante, si actu detur, manifestum est esse efficacem, nam implicat illud dari, et poni in re, quin voluntas simul cum illo operetur, quia hoc intrinsece involvit ratio cooperantis auxilii, ut vox ipsa præ se fert, in quo etiam omnes conveniunt. Dissentiunt autem (et hic incipit controversiæ punctus) in explicando modo hujus efficacitatis auxilii concomitantis.

An Deus per auxilium concomitans faciat ut velimus. — Ad declarandam autem hanc diversitatem, adverte aliud esse Deum facere vel operari ut velimus, aliud vero esse facere et operari nobiscum nostrum velle; utrumque enim tribuit Scriptura divinæ gratiæ, ut late expendit Augustinus, quæstione secunda ad Simplicianum, et aliis locis infra referendis, et in dicto opusculo citatis. Ex quo loco etiam constat per illa verba non idem significari; nam operari nobiscum nostrum velle, tantum significat quod Deus per suam supremam virtutem activam actu efficit et influit in actum nostræ voluntatis, quando nos illud facimus vel facere incipimus, et ideo etiam est certum apud omnes per hoc auxilium concomitans Deum facere nostrum velle non sine nobis; an vero per idem auxilium faciat ut velimus, hoc opus, hic labor est; nam hæc verba significant Deum non solum facere nobiscum nostrum velle, sed etiam efficacitate sua prævenire voluntatem nostram movendo illam, faciendo ut velit. Et quoniam efficientia hujus auxilii concomitantis ex omnium consensu (nam in hoc etiam non est controversia) realis et physica est, quia est a Deo ut a prima et principali causa per se talium actuum, ideo si per tale auxilium Deus facit ut velimus, merito dicitur per illud auxilium, physice ac realiter, per se, ac sola virtute sua determinare humanum arbitrium ut velit, eo quod definite Deus vult ipsum velle.

Diversitas opinionum quoad auxilium concomitans. — Diversitas ergo opinionum quoad hoc auxilium concomitans est, quia una opinio affirmat Deum per illud efficere nobiscum

nostrum velle, non tamen huic auxilio tribuendum esse quod per illud faciat Deus ut faciamus; quia hoc pertinet ad auxilium præveniens, et consequenter negat hæc opinio Deum prædeterminare physice per hoc auxilium voluntatem humanam ut omnino consentiat, et sibi cooperetur; quia efficientia hujus auxilii non antecedit ordine causalitatis efficientiam ipsius voluntatis, licet antecedit dignitate, independentia et principali activitate. Et quod in idem redit, Deus per hoc auxilium non efficit prius in voluntate hominis quam efficiat in actum, vel actionem ipsiusmet voluntatis, sed efficiendo actum efficit cum voluntate, atque etiam in voluntate, quatenus actus ipse in ea fit. Et hanc opinionem sic explicatam ego defendo in dicto opusculo. Et existimo eandem esse mentem aliorum scriptorum Societatis, censeoque sanam et Catholicam doctrinam, atque his temporibus utilissimam, continere.

Altera vero opinio affirmat Deum per hoc auxilium concomitans non solum facere nobiscum nostrum velle, sed etiam efficaciter facere ut velimus, quia non solum cooperatur nobiscum, sed etiam prædeterminat voluntatem nostram ut sibi cooperetur. Unde consequenter ait hæc sententia Deum per hoc auxilium non tantum agere immediate in actum et actionem voluntatis humanæ, sed prius saltem natura, et immediatius (si ita loqui liceat) agere Deum se solo in ipsam voluntatem, determinando illam, quam cum illa efficiat actum ejus. Quia Deus per hoc auxilium operatur in homine ut causa prima superioris ordinis gratiæ in causam secundam sibi subordinatam, cum qua concurrat ad supernaturalem actionem; pertinet autem ad causam primam, ut, quando concurrat cum secunda, in ipsam præagat et præmoveat, dicto modo ipsam determinando et applicando ad opus.

Instantia. — *Solvitur.* — *Cabrera, disput. 6, dub. 8, n. 58; disput. 2, n. 306.* — Quod si quis instet, quia jam hoc auxilium non tantum erit concomitans, sed etiam præveniens, cum prius natura aliquam motionem sua sola virtute efficiat, per quam prævenit voluntatem nostram eam promovendo, respondet Franc. de Avila: *Ingenuè confitemur hoc auxilium interdum appellari præveniens et operans, fortasse propter insinuatam rationem.* Cabrera vero expresse dixit Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 7, sub gratia præveniente, qua disponimur ad conversionem,

comprehendere auxilium efficacem prædeterminans voluntatem: *Quia loquitur (ait) de gratia præveniente, qua moti de facto convertimur.* Ut vero hoc magis explicet, distinguit duplicem rationem formalem in hoc auxilio: alteram, quatenus Deus per illud se solo operatur in nobis dictam determinationem, alteram quatenus simul cum voluntate influit in actum ejus. Et sub hac posteriori ratione habere dicit rationem auxilii concomitantis, de quo non est dubium nec controversia, sub priori autem esse verum auxilium præveniens, in quo sane consequenter loquitur.

Et quia in hoc puncto magna ex parte vertitur cardo difficultatis, oportet attente advertere non esse hoc ex illis auxiliis prævenientibus, quæ consistunt in vitalibus actibus indeliberatis intellectus et voluntatis, quæ Concilia vocant illuminationes, inspirationes, tactus cordis, et gratias excitantes; quia illa motio auxilii efficacis physici (de qua illi auctores loquuntur), ut voluntatem humanam prævenit, non est actus vitalis, tum quia nondum est velle aut nolle, sed determinatio ad volendum; tum etiam quia solus Deus est qui hanc determinationem efficit in voluntate, illa passive se habente; quia, ut illi ratiocinantur, voluntas nondum determinata nihil agere potest; actus autem vitalis esse non potest sine efficientia voluntatis. Erit ergo auxilium medium quid inter proprias excitantes gratias, et proprium auxilium concomitans; poteritque in alia proprietate distingui a gratiis excitantibus, quod illæ possunt tempore præcedere liberum consensum; hoc autem minime, sed ad summum natura. Et ideo (ne in æquivoco laboremus, et ut habeamus propria et definita vocabula, quibus uti possimus) excitantem gratiam in universum vocabimus prævenientem simpliciter; hanc autem motionem vocabimus tempore concomitantem, non natura. Et hanc sententiam sic expositam defendunt moderni scriptores, qui nostram impugnant, ut ex dicendis, præsertim in c. 3, constabit.

Opinionum diversitas ex parte auxilii prævenientis. — Atque hæc quidem est præcipua opinionum diversitas ex parte auxilii concomitantis; ex parte autem prævenientis simpliciter, id est excitantis, etiam esse potest, et videtur aliquando fuisse non parva; nunc autem videtur magna ex parte cessasse. Auxilium igitur præveniens (ut dixi) in excitationibus gratiæ positum est, et ideo sentimus hoc auxilium præcise spectatum ut præve-

niens, de se et natura sua non esse efficacem, non quia de se activum et operativum non sit, sed quia actu non efficit nisi annuente et cooperante libero arbitrio, neque ita illud excitat ut omnino illud determinet ad consensum, sed inclinet et alliciat, et præsto sit ad adjuvandum. Unde intulerunt nonnulli etiam ex probatis Theologis, nullum auxilium præveniens, ut tale est, posse dici efficacem, nisi denominatione ab actione desumpta, id est quia actu efficit. Hoc autem non sistit in ratione prævenientis, sed induit rationem cooperantis et adjuvantis; tunc enim auxilium actu adjuvat, quando voluntas in suum actum influit; si ergo tunc incipit auxilium esse efficacem, jam induit rationem adjuvantis auxilii, atque ita illa denominatio non cadit formaliter in auxilium præveniens ut sic, sed ut adjuvans et concomitans.

Auxilium præveniens manens in ratione prævenientis potest esse et dici efficacem. — Hæc vero sententia quoad posteriorem ejus partem, quamvis sine censura et nota defendi possit, et in gradu probabilis opinionis existat, nobis non est visa consentanea doctrinæ Augustini, nec vera. In quo iudicio alios Societatis Scriptores graves seculi sumus, et quantum experientia et relatione mihi constare potest, fere universi Theologi Societatis in hanc partem inclinant. Sentiant ergo etiam auxilium præveniens seu excitans, manens in ratione prævenientis, posse esse et dici efficacem. Hæc enim videtur esse expressa sententia Augustini, lib. 5 contra Julianum, cap. 4, dicentis: *Habet enim Deus potestatem adducendi et trahendi, ipso Domino dicente: Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Et infra: *Facit hoc miris et ineffabilibus modis, qui novit justa iudicia sua non solum in corporibus hominum, sed in ipsis cordibus operari.* Et epist. 107 inter alia sic inquit: *Quomodo expectat Deus voluntates hominum, ut præveniat eos quibus det gratiam, cum gratias ei non immerito agamus de iis quibus, non ei credentibus, et ejus doctrinam voluntate impia persequentibus, misericordiam prærogavit, eosque ad seipsum omnipotentissima facilitate convertit, et volentes ex nolentibus facit?* Et in eodem sensu dicit lib. de Gratia et liber. arbitr., cap. vigesimo, Deum dominari voluntatibus hominum, itaque habere eas in sua potestate, *ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari.* Idem late prosequitur. quæst. 2 ad Simplicianum, ubi hanc efficacitatem tribuit vocationi con-

gruæ, quam constat ad auxilium præveniens pertinere. Et hanc vocationem vocat in Epistola 107 *altam et secretam*, cujus efficaciam declarans inquit: *Quæ ita agit sensum ut accommodet assensum*. Quod etiam confirmat lib. de Prædest. Sanctorum, cap. 6, 8, 13 et 19, et de Dono perseverant., cap. 4, 6 et 14, et lib. 1 Retractionum, cap. 23, alias 24; l. de Grat. et lib. arb., c. 16, in hoc sensu inquit: *Ille facit ut faciamus tribuens vires efficacissimas voluntati*. Quas vires aliis locis declaravit per vocationem congruam. Et sentit antecedere consensum et cooperantem gratiam, et consequenter pertinere ad gratiam prævenientem. Et sic etiam inquit, lib. de Prædest. Sanct., cap. 8, *vocationem illam singularem et secretam nullo duro corde respui, quia ad hoc datur, ut per eam ipsa cordis duritia penitus auferatur*, quod est esse efficacem. Ratio autem quam in his locis Augustinus insinuat, est quia hoc pertinet ad omnipotentiam et perfectam sapientiam, ac providentiam Dei, imo est etiam necessarium ad salvandam ejus gratuitam electionem et prædestinationem quam divinæ Scripturæ prædicant; neque involvit aliquam repugnantiam, cum hujusmodi efficacia prævenientis gratiæ non pugnet cum perfecta arbitrii libertate.

Efficacia prævenientis auxilii, quatenus tale est, unde proveniat. — Ad explicandum autem hoc postremum (et in hoc est punctum controversiæ) addit hæc opinio, efficaciam prævenientis auxilii, quatenus tale est, non provenire ex eo quod tale auxilium præveniens intrinseca sua vi et natura determinet voluntatem ad unum, sed ex eo quod datur ex proposito efficaci divinæ voluntatis, et ex directione divinæ sapientiæ, quæ novit quid unicuique voluntati creatæ, in quovis tempore vel opportunitate, accommodatum sit, ut, si tangatur et vocetur, ipsa infallibiliter accommodet sensum et consensum. Ita enim hanc efficaciam explicuit Augustinus citatis locis, dum ait, *Deum miris et ineffabilibus modis sic agere sensum, ut accommodet assensum*; nam agere sensum pertinet ad prævenientem gratiam, accommodare autem assensum, est inducere liberum consensum, ut ex tali efficacia et modo illius tactus dicit Augustinus sequi ut voluntas accommodet assensum; et quæstion. 2 ad Simplicianum: *Ideo (inquit) verum est illud: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia hoc modo vocavit quo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem*. Ratio autem est, quia hic

modus efficaciam sufficit ad divinam prædestinationem et perfectissimam providentiam, et ad omnia quæ Scriptura et Sancti docent de excellentia et gratuita liberalitate divinæ gratiæ, et optime conciliatur cum libertate arbitrii et cum sufficientia divinæ gratiæ in vocatione inefficaci. Si autem major efficacia physica et prædeterminativa in auxilio præveniente asseratur vel requiratur, destruitur libertas in his qui tali modo vocantur, et tollitur sufficientia auxilii ab his qui non sic vocantur. Et hanc etiam opinionem, sic explicatam, tanquam veram et Catholicam ego defendi in dicto lib. 3 de Auxiliis, et eandem sequuntur alii scriptores, et fere omnes Theologi Societatis.

Alii vero Theologi, qui prædeterminationem physicam putant esse necessariam, nobis in hoc contradicunt, et in hoc inter se consentiunt, quod putant dictam excitantem seu prævenientem motionem, cum sola efficacitate morali ad inclinandam voluntatem, non sufficere ad salvandam efficaciam gratiæ, quam Scripturæ prædicant. Differunt autem inter se in majori efficacitate explicanda; nam aliqui eorum existimarunt ipsammet excitantem gratiam efficacem habere natura sua physicam vim ad determinandam voluntatem, ita ut, posita tali vocatione, ex intrinseca vi ejus, sit necessario consequens ut voluntas illi consentiat. Quia illæ locutiones Scripturæ: *Faciám ut faciatis; Dabo vobis cor carneum, et auferam cor lapideum; Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*; et: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*; hæc, inquam, verba et similia significant veram et physicam efficaciam vocationis, ut Augustinus ubique interpretatus est. Aliis vero ejusdem scholæ Doctoribus sententia hæc, sic exposita, jam minime probatur, et sane merito, tum quia manifeste contradicit Concilio Tridentino, session. sexta, canon. quarto; tum etiam quia destruit libertatem ad resistendum in sic vocatis, et tollit potestatem ad consentiendum omnibus qui non ita, sed minus efficaciter vocantur; tum denique quia si res ipsa per se spectetur, nec ratione fundari, nec satis intelligi potest, ut breviter explicabitur.

Quia hæc gratia præveniens tota consistit in illustratione quadam intellectus, et in aliquibus motibus vel affectibus indeliberatis voluntatis, ut cum Augustino, lib. de Prædestin. Sanct., cap. sexto et octavo, et libro secundo de Peccat. mer. et remiss., capit.

decimo nono, et aliis locis, omnes Theologi docent, et infra cap. 7 declarabimus. Hujusmodi autem vel intellectus cognitio vel voluntatis motio indeliberata non potest habere intrinsecam et naturalem vim ad determinandam physice voluntatem creatam, ut consentiat excitationi seu vocationi. Aut enim hæc determinatio intelligitur esse in actu primo; quia nimirum ille actus indeliberatus, quo prævenitur voluntas, est veluti quædam forma activa ita inclinans et determinans illam ad efficiendum consensum, ut eam secum necessario ferat, et hoc neque cum fundamento dici potest, neque etiam intelligi.

Nullum judicium intellectus, quantumcumque supernaturale sit, infert in hac vita voluntati necessitatem. — Quod quidem de actibus qui sunt in intellectu fatentur etiam maximi defensores physice prædeterminationis, qui saltem in hoc volunt conservare libertatem, ut ex parte judicii et cognitionis maneat semper indifferentia; quia nullum judicium intellectus infert in hac vita voluntati necessitatem, saltem quoad exercitium, sua connaturali vi, quantumcumque judicium supernaturale sit, quia non proponit voluntati objectum, vel actum, tanquam simpliciter necessarium sub omni ratione boni, alioqui falsum esset judicium. Atque eadem ratione non infert necessitatem quoad specificationem, nisi aliunde impediatur homo ne alia objecta considerare possit, quod esset impedire perfectam deliberationem, quod regulariter non fit per vocationem divinam; et certissimum est non esse necessarium ad efficaciam vocationis; alias non posset homo consentire gratiæ vocanti, nisi divinitus impeditus ne perfecte deliberare et omnia prospicere valeat; quod profecto erroneum est. Unde si aliquando id Deus facit ex speciali gratia (non enim repugnat necessitas quoad specificationem, salva libertate quoad exercitium, quæ sufficit ad meritum, cum illa non sit absoluta determinatio voluntatis ad unum), id provenit ex adjuncta providentia Dei, non ex intrinseca natura talis illustrationis seu cognitionis, de qua nunc agimus, nisi aliunde objectum tale sit, tanquam universale bonum, ut ipsum per se possit hujusmodi necessitatem quoad specificationem afferre, quod ad præsentem considerationem nihil refert.

Motus indeliberatus voluntatis non potest necessitare voluntatem ad efficiendum perfectum consensum. — Idemque discursus fieri potest de quolibet motu indeliberato voluntatis, quia

non potest necessitare voluntatem ad efficiendum perfectum consensum. Unde enim potest imperfectus actus (qualis est velleitas, ut vocant, aut simplex complacentia) habere intrinsecam et naturalem vim tam potenter efficiendi actum perfectum, qualis explicatur per verbum Volo, estque intentio efficax ut necessitet voluntatem, alias indifferentem, ad eundem actum efficiendum? Præterquam quod (ut dixi) hoc esset non solum impedire perfectam deliberationem, sed etiam prorsus tollere liberum usum.

Nec satisfacit quod quidam dicunt hos quidem motus gratiæ excitantis nunquam inferre necessitatem quoad exercitium vel specificationem; aliquando vero tales esse posse ut natura sua habeant intrinsecam connexionem cum consensu, et illum infallibiliter inferant; nam quid est connexio infallibilis, nisi quædam necessitas consequentiæ? Quod ipsi etiam concedunt et putant non impedire libertatem; sed non advertunt hanc necessitatem consequentiæ non esse puræ illationis syllogisticæ, sed effectionis et causalitatis; quia non potest fingi aliud fundamentum, in quo illa infallibilis consequentia et illatio nitatur. Causalitas autem infallibilis ex intrinseca vi et natura causæ est necessitas non solum illationis, sed etiam effectus et actionis. Si ergo motio excitantis gratiæ non habet intrinsecam vim necessitandi voluntatem ad exercitium actus consentiendi, non potest esse intrinseca et infallibilis consecutio inter talem motum indeliberatum in voluntate positum, et consensum; ergo voluntas affecta illo motu non manet ex vi illius determinata quasi in actu primo ad efficiendum consensum.

Voluntas affecta motu excitantis gratiæ, non manens determinata in actu primo ad efficiendum consensum, nec necessario manet determinata in actu secundo. — *Potentia, non obstante tactu excitantis gratiæ, manet indifferens ad consentiendum vel dissentendum.* — Unde ulterius evidenter concluditur voluntatem sic motam non necessario manere determinatam in actu secundo, nec necessitate simpliciter, nec necessitate illationis seu consecutionis. Quia talis determinatio in actu secundo vel est aliquid resultans ex vi solius motus gratiæ excitantis sine efficientia voluntatis. Et hoc nec dici nec cogitari potest, quia nec apprehendi valet quid sit; et quia non esset libera, sed necessaria, et ita mediante illa, excitans gratia necessitaret voluntatem ad consensum; ac denique quia eo ipso quod non fit a voluntate

non potest dici determinatio in actu secundo, sed ordinata ad extorquendum actum secundum. Si autem fit ab ipsa voluntate, non procedit a potentia determinata ad unum in actu primo ex vi gratiæ prævenientis, ut ostensum est; ergo procedit a potentia, quæ non obstante tactu excitantis gratiæ manet indifferens ad consentiendum vel dissentiendum; ergo ex vi intrinseca solius excitationis non potest esse intrinseca et infallibilis connexio inter illam et hanc determinationem in actu secundo. Patet consequentia ex ratione facta, quia hæc consecutio fundatur in causalitate, et hæc causalitas non est certa, quia potest impediri per liberum arbitrium; et sola excitatio præveniens per vim suam intrinsecam non potest potenter efficere ne liberum arbitrium impediatur consensum, suspendendo vel alio divertendo influxum suum; alioqui jam determinaret illud ad unum in actu primo, quod facere non posse ostensum est.

Merito ergo reliquerunt illam sententiam defensores physicæ determinationis, asserendo hanc prædeterminationem physicam, quam ipsi putant esse necessariam ad conversionem peccatoris, non posse tribui vocationi aut gratiæ excitanti, vel simpliciter prævenienti, sed necessario addendum esse aliud genus motionis, per quam Deus determinationem illam faciat. Unde si attente res consideretur, isti sic opinantes in hoc puncto conveniunt cum Doctoribus, qui absolute negant dari gratiam prævenientem efficacem, per gratiam prævenientem intelligendo omnem et solam gratiam excitantem. Differunt tamen hi posteriores Theologi a prioribus, quod non putant prævenientem gratiam fieri efficacem per aliam præviam motionem physicam solius Dei, sed per solum actualem influxum, quo gratia, quæ erat præveniens, transit in concomitantem et adjuvantem, ideoque in hac efficacia aiunt quodammodo dependere gratiam a libero arbitrio tanquam a conditione necessaria, ut præveniens gratia actu efficiat, seu tanquam a concausa omnino libera, ac proinde potente impedire effectum illius gratiæ. Adversarii autem quoniam hinc supponunt necessarium esse ut solus Deus prædeterminet physicè voluntatem, aliunde vero coguntur fateri hoc non fieri per solos motus gratiæ excitantis, adjungunt auxilium illud concomitans tempore, et prævium quoad causalitatem, et ordine naturæ, ut per illud physica illa prædeterminatione vere et realiter a solo Deo fiat, atque ita

in hoc solo puncto cardo controversiæ versatur, ut cap. seq. amplius declarabitur.

CAPUT III.

DETERMINATIONEM VOLUNTATIS AD CONSENSUM LIBERUM, LICET A SOLO DEO NON FIAT, NON FIERI A SOLO LIBERO ARBITRIO.

Propokuntur incommoda, vel etiam errores, quos utraque opinio vel oppositæ tribuit, vel ex illa sequi existimat. — Posito ante oculos controversiæ statu, proponenda sunt incommoda, vel etiam errores quos utraque opinio vel oppositæ tribuit, vel ex illa sequi existimat; examinandumque est quo fundamento, vel illationis efficacia, utraque loquatur; sic enim facilius constabit quæ illarum Catholicæ doctrinæ magis consentanea, ac proinde præferenda sit.

Quid objiciant adversarii. — *Franc. Davila, cap. 10, p. 89; c. 11, p. 110; cap. 9, p. 236.* — Ut ergo a nostra sententia incipiamus, quoniam nos dicimus determinationem nostræ voluntatis ad supernaturalem consensum non fieri a Deo solo, medio aliquo prævio auxilio gratiæ, quod sit medium inter gratiam excitantem et consensum ipsum, sitque posterius quam gratia excitans, et prius, ordine naturæ et causalitatis, quam cooperatio humanæ voluntatis, objiciunt nobis, vel imponunt, quod asseramus liberum nostrum arbitrium solis viribus hanc determinationem ad supernaturalem actum efficere sine influxu gratiæ. Unde Franciscus Davila de nobis scribit quod sentiamus ex nobismetipsis habere hanc determinationem, quia non credimus a Deo nos illam accipere, et alibi nos dicit asserere, *voluntatem ad opera pietatis se determinare pro sola innata libertate, ita ut in principio actionis voluntatis nostræ non plus conferat gratia quam si non esset.* Et alibi dicit idem Auctor: *Ipsa sola natura secundum horum imaginationem gratiam antecedit ac prædeterminat.* Potuitque occasionem sumere ex verbis Molina, qui, disp. 12 Concordiæ, circa principium, affert testimonium Augustini, 12 de Civitate, dicentis, si duo æquales per omnia in omnibus conspiciant eandem mulierem pulchram, evenire posse a sola libertate utriusque, ut unus consentiat in peccatum eam concupiscendo, alter non ita. Et ipse Molina subjungit: *Et eadem ratio est de eodem modo affectis, æqualiterque a Deo ad fidem vocatis; pro sola namque eorum libertate*

potest evenire, ut unus amplectatur fidem, alter vero eam contemnat.

Cabrera supra, disput. 2, 81, num. 9, et num. 109. — *Disp. 6, dub. 4, num. 4 et 31.* — Sic etiam Petrus Cabrera dixit ex nostra sententia (me expresse allegando) *voluntatem humanam prius se determinare operando in actionibus liberis ex vi suæ libertatis et sufficientis auxiliî, quam Deus concurrat per efficaciæ auxiliium;* et iterum refert ex nostra sententia voluntatem, constitutam in actu primo per auxiliium sufficienti, reduci ad actum secundum *se sola et per seipsam.* Unde infert alias erroneas propositiones, scilicet: *Deum adjuvare voluntatem jam determinatam, ut suum actum perficiat,* significans non adjuvare eam ut se determinet, vel actum inchoet. Item hanc causalem esse veram: *Quia voluntas se determinat ad hunc actum, ideo Deus illi efficaciter auxiliatur ad eundem.* Item hanc: *Quia Deus prævidit voluntatem se determinaturam ad talem actum, ideo decrevit efficaciter concurrere cum illa.* Item ex eodem principio sic inquit in alio loco: *Ex duobus æqualiter adjutis, quorum unus convertitur et alter non convertitur, unus eorum (juxta doctrinam M. Suarez) in se habet ex suo libero arbitrio quo se disponat, quia efficacia Divini auxiliî non ex Deo, sed ex libero arbitrio procedit.* Quæ omnia non aliter ostendit nisi quia dicimus auxiliium præveniens non esse de se ita efficax, ut se solo suaque vi prædeterminet physicè voluntatem. Allegat præterea male, et sine fundamento, disp. 22 nostræ Metaphysicæ, section. 2 et sequent., et lib. 4 de Auxiliis a cap. 5, usque ad 17, et lib. 2, cap. 78.

Davila, c. 21, p. 255; c. 13, p. 171; c. 9, p. 81 et 94; c. 23, p. 251; c. 16, p. 281; c. 21, p. 253, 257. — *Cabrera, dict. disp. 6, dub. 4, n. 36.* — Præterea ad hoc caput reduci potest quod iidem Auctores aliis locis de nobis aiunt: *Tribuere nobis ipsis partem boni operis, licet partem aliam gratiæ relinquamus;* nam determinatio videtur esse pars illa, quam (ut aiunt) nobis tribuimus, quid enim aliud excogitari potest? Videntur autem moti ex eo quod sæpe Molina dicit, gratiam et liberum arbitrium esse causas partiales operum pietatis. Sic dixit Franciscus Davila: *Aliquid tribuunt voluntati ex sola natura quo se discernat et aliquid ex se habere quod non accepit;* et alibi inquit: *Caveant adversæ sententiæ assertores, ne quod Dei donum et gratia est sibi tribuant, et non in Domino, sed in seipsis gloriantur, dum sibi partem, et partem Deo suæ*

justificationis adscribunt. Cabrera vero hanc propositionem ex nobis refert: *Qui convertitur, aliquid apponit ex propriis viribus, quod non est effectus ipsius auxiliî, sed potius indistincte concausans cum ipso auxiliio.* Ita ergo dicti Auctores de nobis sentiunt.

Tres sententiæ circa effectiorem determinationem. — *Tria auxilia requirunt auctores ad actum conversionis.* — *Primum auxiliium.* — Ut autem ad examinandam veritatem a determinatione incipiamus, et unicuique quod revera suum est tribuamus, circa effectiorem hujus determinationis tres sententiæ oportet distinguere: duas extremas, et unam mediam. Una extrema est fieri a solo Deo; altera, fieri a solo libero arbitrio; media vero est fieri ab utroque. Dicti ergo Auctores hujus tertiæ sententiæ videntur obliti, quia vel non cogitarunt illam esse possibilem, aut noluerunt eam in nostris libris legere aut intelligere. Ipsorum vero sententia est (quod maxime præ oculis habendum est), Deum solum efficacitate sua prius efficere determinationem in voluntate hominis jam vocati, postea vero hominem sua voluntate consentire Deo, iterum cum illo concurrente et cooperante ad consensum. Unde tria auxilia, seu concursus, aut effectiones Dei requirunt ad actum conversionis, et unam tantum ex parte liberi arbitrii. Primum auxiliium est vocationis, sub qua tota gratia præveniens seu excitans, quæ fit per motus gratiæ indeliberatos, comprehenditur, et hanc gratiam præcise sumptam vocant isti Auctores sufficientem tantum, quantacumque illa sit, eique solum tribuunt causalitatem moralem respectu conversionis; fatenturque ex vi illius voluntatem non determinari ad unum, sed manere indifferentem, posseque ei resistere, et consequenter aiunt fieri posse ut in hac gratia illuminationum et inspirationum prævenientium sint æquales qui convertitur et qui resistit, prædestinatus et reprobus.

Secundum auxiliium. — Addunt ergo secundum auxiliium, quod vocant efficax, quod partim præveniens ponunt, quia a Deo solo fit, sine libera cooperatione hominis; partim concomitans, quia necessario habet in eodem instanti concomitantem consensum liberi arbitrii. Et hujus auxiliî effectum quasi formalem esse dicunt, determinare omnino voluntatem ad consensum, quia nisi hoc præcedat, determinare ipsa se non potest; effectus autem illius auxiliî seu determinationis in genere causæ efficientis erit ipse consensus, qui